DEO OPTIMO, MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis, decimâ-quartâ Februarii, 1726.

M. JOANNE-FRANCISCO LEAULTE',
Doctore Medico, Præside.

An Rheumatismo Balneum?

I.

PRÆFIXUS à Deo Optimo, Maximo, vitæ terminus, Medicinæ necessitatem non excludit. Ut cæteras vitæ necessitates, sic Medicinam creavit Altissimus, non ut hominem ad immortalitatem duceret, sed ut mortalitatis suæ fragilitatem, infirmitatemque relevaret. Quos enim absolutè morbos Medicina non sanat, eos tamen tolerabiles reddit & vitales. Imò contumaces affectus, & qui validioribus remediis refragantur, adhibitâ Medici industriâ, mitioribus nonnunquam cedunt. Hujus indolis esse Rheumatismum contumacem puta; modò hoc, modò illud latus, improviso insultu occupat, sine rubore, aut tumore, lancinantes pungentesque dolores excruciant, morborum genus omne diceres in membranaceas musculosasque partes illapsum. Hinc perpetuâ naturam pugnâ fatigat; nec priùs quiescit, quàm sedem fixerit stabilem. Non medios artus tantùm, sed & externum corporis habitum infestat, vagos ac succedaneos inferens dolores scorbuticorum, & eorum qui à lue vencreâ excitantur, æmulos. Indè tres hosce morbos confundere periculum est. Heu quot videas contumaci, sed simplici Rheumatismo laborantes, inquieto mercurio, sordidis frictionibus, abominatisque salivationibus fuisse damnatos, id facinoris audente lucri studio ac temeritate. Magna est inter Arthritidem & Rheumatismum consensio & conspiratio. Hic sæpè illius prodromus, lubricus hujus in illam transitus, communis utriusque materia, idem doloris aculeus, interdum eadem pars affecta. Distinguuntur tamen: hic circuitu caret; illa certis intervallis quasi ex condicto recurrit; lancinantur articulorum ligamenta aut membranæ quarum sensus est exquisitus. Adeò doloris impatientiâ dolorem acuit, ut jure hanc dicas arti-

culorum febrem. In Rheumatismo verò totum riget doletque corpus; ac si foret Arthritis universa, musculares membranas omnes desultorio dolore vexat, nec ullibi locorum desidet, ita ut non pauciora sint supplicia quàm membra.

II.

IN Rheumatismo caput, ut veteribus placuit, potiùs quàm Hepar, Lienem, Ventriculum, aut alia viscera incusare, recentiori ac eruditiori Physicæ obsoletum visum est. Communis est causa quæ plures morbos efficit, sede suâ & parte quâ stagnat humor, & congeritur, propriisque symptomatis, quivis affectus discernitur. A stagnante sanguine pars aquea seu serum facilè secedit. Serum, non roshalituosus, dulcis & lymphaticus quo humescunt partes, & flexiles conservantur, sed serum impurum & inconditum, pluribus particulis salinis sulphureisque confusum, auctiore vasorum vi systalticâ, & arctiore partium motu tonico, ploratûs & lacrymarum instar expressum. Serum ideò acerrimum sæpè & corrosivum. Serum denique, aut potiùs serosa colluvies varii ac multiplicis morbi causa proxima & immediata, nerveis & membranaceis partibus maximè inimicatur. In cerebri membranis hemicranias, cephalalgias, convulsiones parit, in intestinorum tunicis dolores colicos, lethiferas cardialgias in ventriculi substantiâ, in aurium meatu sævissimam otalgiam, odontalgiam gravissimam in dentium ligamentis, in articulorum membranis dolores arthriticos, Rheumatismos demum contumaces in membranaceis musculorum partibus sine rubore ac tumore creat, at non sine dolore atrocissimo. Serosæ colluviei particulæ quò plus intrà fibrarum interstitia commorantur, eò salsiores evadunt, acriores & duriores, nec-non totidem cuneorum speciem induunt, quibus fibræ membranaceæ eroduntur, & ab invicem divelluntur. Hæ verò stimulatæ & lacessitæ crispantur magis & contrahuntur, serum vicissim premunt, truduntque, & loco cedere compellunt. Interdum resistit serum partibus inhærens tenaciùs, sæpiùs in aliam partem fertur ad priorem locum postea reversurum. Hinc Rheumatismi frequens à parte in partem itus reditusque. Hinc remissiones hujus mali, & exacerbationes quæ sunt eò frequentiores & longiores, quò plus in illius curatione delinquitur. Si enim minùs peritè tractetur, non ad menses tantùm, sed ad annos aliquot, imò per omnem vitam, miserum discruciat.

III.

RHEUMATISMUS contumax curatu difficilis. Causa hujus morbi vix corrigi & evacuari potest; tum quod extra circuitus sanguinis orbitam consistat, & ab excretoriis viis quàm longissimè distet; tum quia membranarum fibris ita interjecta est, ut cum ipsis quasi ferruminatam esse putandum sit. Venæ sectio ἡγεμονικὸν in omnibus ferè morbis præsidium, quæ in recenti Rheumatismo, cum humor serosus adhuc flexilis est, & vasis facilè potest resorberi, sola ferè curationem absolvit, in inveterato & contumaci vix est paregoricum & præparans, minimè verò sanans remedium. Imò si crebrius aut copiosius fundatur sanguis, Rheumatismus contumax ingravescit; fibrarum nempe debilitas succedit, quæ novos deflectentes succos ad se invitet; huc, illuc, irrumpet deflexus succus, dolores omnigenos pariturus. Neque felicius quid à purgatione expectaveris: in dolore Rheumatico sæpè temerè, sæpius infaustè exhibetur. Ab hu-

moris foco ad inteſtinorum glandulas longior eſt, ac per invia purgantibus loca, trajectus. Purgatio itaque in omni Rheumatiſmo rara ſit & circumſpectiſſima. Diuretica fortè adhibebis medicamenta, quibus ſeroſa colluvies veluti manu deduci poſſe tibi videbitur; amara eliges apozemata adeo ſolemnia hodiè & uſitata, quæ pro more condies ſale mirabili, & micâ aliquâ indefiniti illius remedii, *Kermés* dicti, ſtimulabis. At nulla ſunt fortè in re medicâ, potentioribus diureticis, incertiora remedia. Humores reverâ fundunt, & liquant, huc & illuc præceps adigunt, detruduntque in penitiſſimos corporis receſſus, & ad incernicula non ſua, ad renes vero ne guttam quidem urinæ ſæpè determinant. Sed ſudoriferorum, inquies, in hiſce morbis magna vis & potentia; hæc populus garrit ſcilicet, hæc eſt Medicaſtrorum cantilena, quam recantent, ſi tandem poſſunt ſapere, qui ſudorum in Rheumatiſmo vi expreſſorum damna & calamitates quotidie experiuntur. Cum etiam ſpontanei ſudores morbum hunc exacuere & contumaciorem facere ſolent. Nam diſcuſſâ tenuiori colluviei portione, craſſior ſuperabit, novos denuò & graviores dolores proditura. Hæc autem incommoda à balneo ritè temperato ne metuas.

IV.


Ui aquæ dotes & qualitates noſcit, balnei utilitates prædicare non dubitet. Quam ſanitati tuendæ ac reſtituendæ aqua conferat cauſariis & revaleſcentibus notum eſt. Quantum digeſtionem alimentorum juvet, teſtatur imprimis abſthemiorum edacitas. Aqua ſive pota ſive perfuſa omni œconomiæ animali idonea eſt & amica, cum humoribus corporis noſtri miſceri facilè poteſt, eſtque naturæ ferè conſimilis, craſſa tenuat, liquat glutinoſa, dura emollit, tenſa laxat & rigida, cæcos reſerat partium meatus, aperit invia cutis ſpiramenta, quibus patentibus humorum fuligines liberè elabuntur: quin & ubi corporis penetralia penitùs ſubiit, torridos, concretos, contumaceſque ſuccos, quibus ſe permiſcet, lenit, diluit, diſſolvitque, & ad exitum parat: ex his judicandum quàm acceptum ſit balneum peripneumonicis, pleuriticis, coliciſque doloribus. In balneo poſitum nephentes. Iſchuriâ ab inflammatione laborantibus & ictero fædatis præſentaneum eſt remedium. Quantæ apud Hippocratem exiſtimationis eſſet, petitum ex balneis remedium vide. Balneum, inquit, quod compactum eſt diſſolvit & diſcutit, dolorem lenit, ſputumque maturum facit ac educit, facilem reddit ſpirationem, laſſitudinem eximit, dum articulos & cutis ſuperficiem exolvit, & urinam ciet, & capitis gravitatem ſolvit, & nares humectat. Hactenus Hippocrates qui cum balneo laſſitudinem eximi articulos & cutis ſuperficiem emolliri pronuntiavit, balneum in Rheumatiſmo adhibendum, poſteros omnes edocuiſſe, cuivis ſapienti videbitur.

V.


Alneas natura vel ars diſſimili ratione temperat, naturales calidæ ſunt & ſulphureæ, thermæ dictæ; de genere ſunt fortium pharmacorum, quæ ſi non in alexiteria, ſæpè tranſeunt in venena. Nam thermarum uſus etſi Rheumaticos quoſdam ſanavit, ſexcentos multò deteriores reddidit. Experientiâ conſtat Balnea calida & ſulphurea, quas accenſi in ſinu terræ ſulphuris, bituminis, vi-

trioli, calcis vires hauſerunt, eas corporibus noſtris non ſolùm inſinuare, ſed etiam in corpore humano ſalinas, aliaſque morbidas quæ intra viſcera aut humores ſcatent, particulas evolvere, atque in genus nervoſum & membranaceum urgere, quin imò ſecretas prius & otioſas conjungere, & in *Ζύμωσιν* quamdam incitare. Quare Rheumatici à thermarum uſu ſæpiſſimè morbi fructus in ſe ſtatim multiplicari ſentiunt, ac non raro in convulſiones inducuntur. Balnea quæ in Rheumatiſmo ars parat, quò ſimpliciora ſunt, eò ſunt efficaciora: in eo nempè morbo rigida mollire, laxare tenſa, glutinoſa reſolvere, macerare ſalina, ſulphurea temperare operæ pretium eſt; quibus exequendis nullum præſentius & efficacius tibi eſt remedium quàm aqua dulcis, ex earum genere quæ tenues ſunt, lympidæ, profluentes & apertæ, non limoſæ non ſtativæ, non paluſtres. Domeſticum Balneum fluviali præſtat: nam ſolis æſtus ad temperationem aquæ, aut parum efficax, aut nimium inæqualis. Non algido utere Balneo aut præcalido, altero nempè cutis oſtiola conſtringuntur, obturantur, altero laxatis plus æquo meatibus, tenuiſſimæ ſeri particulæ evaporant ultrò, ſpiſſeſſit ſanguis, dureſcit, corneſcit ferè, fitque in vaſis veluti ſolidum in ſolido. Calore blando debet Balneum tepeſcere, ita ut neque rigeat æger, neque nimium incaleſcat: itaque venæ ſectio in Rheumatiſmo contumaci juvat interdum, ſed non ſanat. Purgantia, qui in primis viis nidulantur, aut ad excretionem proni ſunt & propinqui, ſuccos tantum deducunt, cæteros non attingunt aut firmius loculis ſuis affigunt. At Balneum eſt veluti totius corporis ſubſtantiæ remedium, namque ab illius ſuperficie ad ultimos omnes ejus receſſus penetrat, humores in carceribus fibrarum detentos reſolvit, laxat fibras, redonatque ſuo motu tonico; redduntur fluidis pronitates, oſcillationes ſolidis, utriſque æquilibrium. Solitæ humorum determinationes redeunt, ſecretiones, excretiones.

Ergo Rheumatiſmo Balneum.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Franciſcus Bailly.	*M. Petrus-Antonius Lepy, Conſiliarius Regis, & in ejus Caſtelleto Medicus Ordinarius.*	*M. Joannes-Baptiſta Mongin, Pharmaciæ Profeſſor, & Medicus Regis Ordinarius.*
M. Andreas Delaleu.	*M. Elias Col de Vilars, Conſiliarius Regis, & in ejus Caſtelleto Medicus Ordinarius.*	*M. Michael Procope Couteaux.*
M. Antonius le Moine.	*M. Henricus Beſnier.*	*M. Joannes-Claudius-Adrianus Helvetius, Regi à ſanctioribus Conſiliis, Medicus Regis, perpetuò Ordinarius, & è Regiâ Scientiarum Academiâ.*

Proponebat Pariſiis BERNARDUS DE JUSSIEU, Lugdunæus, Baccalaureus Medicus, in Horto Regio Botanices Prodemonſtrator, & è Regiâ Scientiarum Academiâ.

Typis PH. N. LOTTIN, *Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi.*